Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

io prestare se debebat. Et io dicit. Cum esset iustus. Ubique enim in ioseph iusti gratia et persona seruatur ut testis ornetur. Lingua enim iusti loquitur iudicium ueritatis. Sed quomodo ioseph cum crimen celet uxoris iustus describitur. Iero. In lege enim preceptum est non solum reos sed et conscios criminis obnoxios esse peccato. Criso. Sed sciendum quod iustum hic uirtuosum in omnibus dicit. Est enim iusticia et auariciam non habere. et alia uirtus et sic nomine iusticie maxime utitur scriptura. Iustus igitur existens .i. benignus et mitis uoluit occulte dimittere eam quam non solum traductioni sed et pene per legem obnoxia credebatur. Sed ioseph utrumque remisit. quasi super legem uiuens. Sic enim sol antequam radios monstret mundum clarificat. sic et christus antequam nasceretur multa signa perfecte uirtutis apparere fecit. Vel aliter. Si solus nosti quod aliquis peccauit in te et eum uis coram omnibus arguere non es corrector sed proditor. Unde uir iustus ioseph tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus magna benignitate pepercit. Estuabat utique certa adulterii suspicio et tamen quia ipse solus sciebat noluit eam diuulgare sed occulte dimittere uolens prodesse peccanti non punire peccantem. Aug. Vel hoc testimonium marie est quod ioseph sciens illius castitatem et admirans quod euenerat celat silentio cuius misterium nesciebat. Remig. Videbat enim grauidam quam nouerat castam et quia legerat. egredietur uirga de radice iesse. unde nouerat mariam duxisse originem. et legerat et ecce uirgo concipiet. non diffidebat hanc prophetiam in ea esse implendam. Orig. Sed si suspicionem mentem non habebat. quomodo iustus erat. ut immaculatam dimitteret. Ideo igitur dimittere uolebat. quia magnum sacramentum in ea esse cognoscebat cui approximare se indignum extimabat. Glo. Vel cum uellet eam dimittere iustus erat. cum occulte per hoc notatur eam ab infamia defendens et hoc

est. cum esset iustus. uoluit dimittere eam. cum nollet eam traducere. id est publicum .i. diffamare uoluit hoc facere occulte. Ambro. Nemo autem quod non accepit dimittit et ideo quam uolebat dimittere fatebatur acceptam. Glo. Vel cum nollet eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam. uoluit occulte dimittere eam .i. tempus nuptiarum mutare. Vera enim uirtus est. cum nec pietas sine iusticia. nec sine pietate seruatur iusticia. que separate ab inuicem dilabuntur. Vel iustus erat per fidem qua credebat christum de uirgine nasciturum. unde uoluit se humiliare ante tantam gratiam. Remig.

Hec autem eo cogitante. ecce angelus domini in somnis apparuit ei dicens. Joseph fili dauid. noli timere accipere mariam coniugem tuam. Quod

Quia sic dictum est. cogitabat ioseph occulte mariam dimittere. hoc autem si facere ab his parauit esset. qui non magis crederent eam esse meretricem quam uirginem. Ideo repente consilium ioseph diuino mutatum est consilio. Unde sequitur. hec autem eo cogitante. Glo. In quo notatur animus sapientes qui nichil temere uolunt incipere. Criso. Nota etiam mansuetudo ioseph. quia nulli enarrauit suam suspicionem. neque ei que suspecta erat. sed in se cogitabat. Aug. Sed ioseph ita cogitante non timeat maria quod